



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

134. An Clerici inseruientes, & vere adstricti alicui Ecclesiae, licet primam
Tonsuram non habeant, gaudeant priuilegio fori? Et explanatur, quod
quamuis Clerici, qui dicuntur Saluatici, non gaudeant ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

Suarez, Clerici esse deberent; nam Clerici etiam non deseruiunt Ecclesie tunc, ut dictum est, privilegio fori gaudebant.

5. Dicendum est igitur absolute seruientes Ecclesiis gaudere privilegio fori, & maxime in casu nostro, cum deseruiant in habitu Clericali & in ordine ut ad Minores promoveantur. Vnde hanc sententiam videtur satis firmare Siculus noster Barbat. in dicto c. 2. de foro compet. n. 29. vbi sic ait. In Glossa queritur, quid comprehendatur appellatione minorum Ecclesie, qui non possunt distringi, aut condemnari à iudice Laico. Respondet, quod sunt scholares, vel seruientes Ecclesie deputati ad eius obsequium: quia illi eodem privilegio gaudere debent 12. quest. 2. cap. Ecclesiarum seruos: habuit forte respectum ad quasdam Ecclesias, maxime in Alemania, vbi sunt scholares addiscentes, & seruientes Ecclesie: simile habetur in cap. 1. de celebrat. Missar. Veniunt etiam seruientes ipsi Ecclesie, si ad obsequium eius deputati sunt. & sic non sufficit seruire Ecclesie, sed oportet deputatum esse ad eius obsequium. Vidi ego sarpenero fornarium meum seruientem Ecclesie in Missa, ut propter hoc non gaudeat privilegio Ecclesie, quia ad illud seruitium non est deputatus. Sed Vincentius videtur intelligere in iunioribus deputatis Ecclesie obsequio, ut adueniente aetate promoueantur ad Ordines. Hucusque Barbatia, cuius vltima verba mirifice faciunt pro casu nostro, & ea quoque, que addit postea num. 33.

6. Restat modò respondere ad argumenta Bonacinae in principio posita. Et ad primum, quod isti Ecclesie seruientes non gaudent privilegio Canonis; ergo neque gaudere debent privilegio fori. Respondeo negando consequentiam: nã familia Laica Episcopii, ut iteratis vicibus declarauit Sacra Congregatio; & ego satis firmam ex communi Doctorum sententia in Apologetica disceptatione contra Moscov. sum resolut. 2. gaudet privilegio fori, & tamen non gaudet privilegio Canonis. Valet quidem argumentum, ut obseruat Suarez contra Regem Anglia. lib. 4. cap. 29. num. 7. Layman lib. 3. tract. 9. cap. 7. num. 1. & me citato Ambrosius Machin, vbi infra artic. 4. n. 37. valet inquam, argumentum, gaudet quis privilegio Canonis; ergo gaudebit privilegio fori, sed non è conuerso.

7. Ad secundum. Quòd ex Concilio Tridentin, o ut quis gaudeat privilegio fori, debet non solum gestare habitum, sed tonsuram. Respondeo, quòd Concilium, ut legentibus patet, loquitur de privilegio fori, quo debent gaudere Clerici, ut Clerici: non de privilegio, quod aliis competit ex alio capite. Et ideo Concilium asserit, Nullus Clericus prima tonsura initiatus, &c. Vnde Stephanus Bauny Auditor parum fauens Ecclesiasticæ immunitati, licet alioquin vir doctus & eruditus in Theolog. Moral. tom. 1. tract. 11. quest. 37. & alij quos ad fatietatem adduxi in dict. disceptatione Apologetica, resolut. 8. mordicus hanc sententiam tenent.

8. Ad tertium argumentum, quòd dicti seruientes non sint personæ Ecclesiasticæ; Respondeo hoc esse verum; sed non sequitur. Ergo non gaudent privilegio fori: quia, ut dictum est, hoc privilegium illis nõ datur à sacris Canonibus intuitu personarum sed ratione solius utilitatis Ecclesie: sicut seruientes Episcopis non sunt personæ Ecclesiasticæ, & tamen gaudent privilegio fori. Vnde non desinam hic apponere verba Ambrosij Machin, in allegat. pro iurisd. Ordinum militarium artic. 6. num. 58. vbi sic ait. Muy diferente razon es de los Clerigos à los de la familia del Obispo que gozan del fuero, y no del Canon: porque el fundamento de gozarle no es el mismo

pués no se les da como à personas Ecclesiasticas, si no come à familiares del Obispo, à quien el derecho le da.) Hac ille; que individualiter deseruiunt pro casu nostro: & pro responsione ad omnia argumenta Bonacinae. Contra quem etiam facit casus vxoris Clerici coniugati, ut me citato docet nouissime Merolla tom. 3. disputat. 6. cap. 3. num. 52. & ego addo, vxores Equitum Diui Jacobi Alcantaræ, & Calatranæ; quas certum est non gaudere privilegio Canonis, neque esse personas Ecclesiasticas, & tamen gaudent privilegio fori: ut inter alios nouissime solide probat eruditus Franciscus de Amaia in Cod. lib. 20. tit. 39. n. 12. & seq. Ergo idem dicendum est de seruientibus Ecclesiis, qui licet non gaudeant privilegio Canonis, neque sint personæ Ecclesiasticæ, non ex hoc sequitur contra Bonacinam non posse gaudere privilegio fori, & maxime in casu nostro, vbi tales incedunt cum habitu Clericali, & seruiunt Ecclesiis intuitu suscipiendi ordines minores. Et ita stando in terminis iuris communis ego probabiliter sentio, saluo semper aliorum doctorum virorum meliori iudicio & Sacre Congregationis immunitatis oraculo.

RESOL CXXXIV.

An Clerici inseruientes verè adstricti alicui Ecclesie, licet primam tonsuram non habeant, gaudeant privilegio fori?

Et explanatur, quod quamuis Clerici, qui dicuntur, Saluatici, non gaudent privilegio Canonis, neque exemptione gabellarum, tamen gaudeant privilegio fori. Ex part. 3. tract. 1. Ref. 69.

§. 1. Negatiuè responderet Bonac. in Bull. Cen. 3. disp. 1. q. 16. punct. 3. n. 7. quia talis clericus non gaudet privilegio canonis; ergo neque gaudet privilegio fori, & hanc sententiam videtur innuere Reginald. tom. 1. lib. 9. c. 23. n. 355. ceteras rationes videbis apud Bonacinam.

2. Sed his non obstantibus non desunt Doctores post Concilium Tridentinum scribentes, qui asserunt dictos clericos privilegio fori gaudere, & ita tenet Bellettus in disquis. cler. part. 1. tit. de favore clericorum personal. §. 2. num. 2. Ambrosius de immunit. cap. 22. n. 6. & Decianus in tract. crim. tom. 1. lib. 4. cap. 8. n. 2. & ad argumentum quod adducit Bonacina vbi supra posset aliquis respondere, quòd clerici, qui dicuntur saluatici non gaudent privilegio canonis, neque exemptione gabellarum, & tamen gaudent privilegio fori, ut declarauit sacra Cardinalium Congregatio 10. Kalendas Iunii 1632. cuius verba asserit Paulus Squillante de privileg. cler. cap. 7. dub. 2. n. 4. & Nouarius de elect. fori q. 52. sub. n. 13. sect. 2. in vltima impressione Neapolitana. sed circa supradictos clericos saluaticos multas questiones suscitauit nouissime Aloysius Riccius in praxi fori eccles. tom. 4. resol. 223. usque ad resol. 131. lege illum, & non pigebit.

RESOL. C.

An Clericus incedens cum habitu, & Tonsura sed non deseruiens alicui Ecclesie, gaudeat privilegio fori?

Et notatur, quod licentia Episcopi deseruiendi in certa Ecclesia sufficit, ut obtineatur oretenus, sed non sufficit seruitium in temporalibus, sed in spiritualibus, & sufficit, si seruitium prebeatur alicui Ecclesie, quam illi, in qua mandauit Episcopus, etiam si seruiat Capella existenti

Quæ hic est inica in tr. 8. Resol. etiam 2. §. 1. post meliorem, a veris. An familia Episcopi, & in Resol. not. seq. & aliis eorum annotation.

Quæ hic est infra in tr. 8. Ref. 8. & in Resol. §. & veris. annot. praterita, & infra in Ref. 182. & in ceteris aliis eius prime a. not.

* Sup. comento in hoc vers. cum essent auctoritas & alii infra in Ref. 176. §. Probatur primo & in aliis eius annotationes. pro privilegio Canonis melius in to. 5. r. 2. Refol. 43. §. Sed an.

Sup. hoc in Ref. praterita, & pro privilegio Canonis lege §. nor. seq.

Sup. hoc privilegio Canonis in to. 5. r. 2. Ref. 9. §. vlt.